



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Imagines Mortis

Corrozet, Gilles

Coloniae, 1557

VD16 C 5284

Oratio Ad Deum, Apvd Aegrotvm, Dvm inuisitur, dicenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34296**

ORATIO AD DEVM,  
APVD AEGROTVM, DVM  
inuifitur, dicenda.

**Q**UONIAM OMNIPOTENS sempiternae  
& clemētissime Deus, inter mul-  
tiplices disciplinas & castigati-  
ones, quibus ad te nos inuitas,  
varijs ægrotationibus carnē nostrā refræ-  
nare soles, adempta per morbos periculo-  
sos eius securitate: admonesque tum ma-  
læ vitæ peractæ illius finis, adeoq; mortis  
impendentis, per cruciatus, qui sunt illius  
anteambulones, tum extremæ diei, iudicij  
tui, & subsecuturæ vitæ æternæ, quæ bonis  
ad gloriam & felicitatem, malis autem ad  
ignominiam ac damnationē gehennæ cō-  
tinuabitur. Quarū rerum memoriam ca-  
ro sibi permissa nullam admittit. Iam ve-  
rò hunc hominem calamitosum, ob affe-  
ctam valetudinē lecto affixum, & ferētem  
seueritatem flagelli tui deprehendimus,  
apud quem peccatorum sensus excitatur,  
mortisque imago ob oculos volitat. Idcir-  
co nos miseri, qui eandem horam aduersi-  
tatis pro naturæ conditione expectamus,  
vnà cum illo te oramus & obsecramus, ne  
summa



ORATIO

summo iure pro eius meritis, cum eo iudicium experiaris, propter Iesum Christum Dominum nostrum, qui huius ægroti & nostram omnium culpam in cruce luit. Quin potiùs illi ceu redempto gratiam & animi fortitudinem largiaris, quia hanc paternam disciplinam & visitationem placidè admittat, patienter ferat, perfecta obedientia volentem & obsequentem se percutiētis beneuolētię permittat. Opitulare illi in omnibus aduersitatibus, ac tutela illi & propugnaculum fueris, cōtra instans discrimen, quo iam periclitatur. maximè si conscientia renudata interiora cordis peccata illū apud te accusabunt, tum acerbissima tormenta & voluntarium sacrificium Christi filij tui in patrociniū oppone, qui nostras infirmitates sustinuit, pœnamq; nobis debitam persoluit, factus pro nobis peccatū, dum pro nostris peccatis mortem oppeteret, quę pretioso sanguine suo abluit, quique ex mortuis resurgens nostra iustitia, perfectusq; redemptor factus est. Horum beneficiorum fructum & vim per fidem sentiat, hac angustia pressus opem tuā experiatur, & talium beneficiorum, donorumq; in Christo, fructum aliquem hoc  
arti.



## AD DEVM.

articulo temporis sui delibet. Effice vt ve-  
 ra fide tantum felicitatis thesaurũ, hoc est,  
 remissionem peccatorũ propter Christũ,  
 qui per ministerium verbi prædicationis,  
 quod initio recitauimus, & sacramentorũ  
 vsu, quæ in Ecclesia nobiscum frequenta-  
 uit, ei etiamnum exhibetur, auidè ac certò  
 accipiat, in solatiũ, præsidium & propugna-  
 culũ aduersus tumultos grauer accusan-  
 tis consciẽtię, & artes cacodæmonis. Sed &  
 ea fides sit ei armatura, qua tutus per mor-  
 tem in vitam penetret, qua apprehensa in  
 sempiternum fruatur. Eum igitur totum  
 tibi commendamus pater cœlestis. Nam  
 quia ægrotus est, tu sanaueris eum: imbe-  
 cillus est, adiuueris eum: iacet, tu statueris  
 eum: suam impuritatem & maculas agno-  
 scit, laueris eum: saucius est, medicatus fue-  
 ris ei: pauidus est, animũ reddideris ei. Et  
 quia omnia nosti, & pro arbitrio conferre  
 potes, exatiauueris eum: fame enim & siti  
 valde torquetur. Amplectere: nam ad te re-  
 ctà confugit, & constantem sibi ad obeun-  
 da iussa tua eũ efficias. In summa, ignosce  
 omnia, quibus iram acrem in se tuam inci-  
 tauit. Pro morte vitam ei concede tecum  
 in gloria, & si eius vsus, in vinea tua exedi-  
 ficanda

ficanda



ORATIO

ficanda in hac mortalitate, & accuratiùs ad  
exemplum Christi conformandum noue-  
ris eum, sed auctum donis amplioribus  
cōserua. Atqui voluntas tua omnino fiat,  
quæ nunquam non est optima. Hæc om-  
nia nobis atq; decumbenti ex morbo ho-  
mini isti concede, per solum Iesum Chri-  
stum filium tuum Dominum nostrū, qui  
vnus est redemptor & opitulator noster,  
qui que in solatium & exemplum peccato-  
ribus latronem in cruce secum in paradi-  
sum perduxit. Qui tecum viuit & re-  
gnat in vnitate Spiritus sancti, ve-  
rus Deus in secula seculo-  
rum, Amen.

ORA